Uel ꝟm alios sunt ꝟba salomonis. Dñe deus in simplicitate cordis mei. letus obtuli vniuersa hec. Obtulerunt em̄ sacrificia iestimabilia que significāt bonas opa/tiones siue cogitationes ⁊ bona desideria que inestimabilia sunt ⁊ numero et precō. Sequit̄ postcōmunio. Domus mea. ⁊c̄. Esa. lvj. ⁊ Mat. xxj. c. Nota si festum dedicationis ecclesie occurrerit in passione dñi. fit in sequenti hebdomada. Si ꝟo in festo ascensionis de ascensione fiet officiū. ⁊ officium dedicationis differatur. Salomon em̄ dedicauit templum duodecima die mēꝭ septēbr. ⁊. x. die mēꝭ occurrebat scenophegia. celebrauit aūt dedicationez templi ꝑ septē dies. ⁊ ꝓrogauit scenophegiam vsq; post dedicationē.

Incipit octaua pars de compoto ⁊ kalendario ⁊ de ꝑtinentibus ad illa.

Quoniam sicut ait btūs Aug⁹. sacerdotes compotū scire tenent̄. alioq̄n vix in eis sacerdotis nomē cōstabit. sub quo ꝟbo noticiam cursus tꝑis lune ac kalendarij intelligimus. Qm̄ cōpotus est scientia certificādi tꝑs ꝟm solis ⁊ lune progressum. Idcirco ad simplicium sacerdotum instructionē in hac octaua ⁊ finali ꝑte de hoc aliqua claro compendio ꝑstrīgemus ꝓut ad vsum eccl'ie dinoscitur ꝑtinere. Dicit̄ aūt compot⁹ a computo. tas. quia in ipso computando procedimus nō quia in ipso computare doceamur. Et est duplex compotus. scilz astronomicus seu philosophicus. ⁊ vulgaris seu ecclesiasticus. sed de astronomico nil ad p̄sens Vulgaris compotus ē scientia distinguēdi tēpus certa ratione. siue scientia tempis discretiua ꝟm ecclesie vsum. Tempus vero ꝓut hic sumit̄ est ꝟm Tullium quedā q̄ntitas annui. mensurni. diurni ve seu alterius spatij. Uel tꝑs ē mora motus rerū variabilium. cui⁹ ꝑtes decē eē dicunt̄. s. annus. mensis septimana. dies. quadrans. hora. punctum. momētum. vncia. ⁊ athomus. Annus continet. xij. menses. vel. lij septimanas. ⁊ diem vnam. vel trecentos sexagintaq̄nq; dies ⁊ sex horas. Mēsis continet quattuor septimanas vel paulo plus. Septimana. vij. dies. Dies quattuor quadrantes. Quadrans sex horas. Hora quattuor puncta. Punctum decē momenta. Momentum duodecim vncias. Uncia. xlvij. athomos. Athomus indiuisibilis est. Nam thomos grece diuisio dr̄. Unde athomos grece idiuisio latine. Anni ergo solaris fere duodecima pars mensis est. Septimana vero ē fere quarta ꝑs mensis. Dies naturalis. septima pars septimane. Quadrans quarta pars diei naturalis. Hora sexta pars quadrant. Pūctum quarta pars hore. Momentū decima pars puncti. Uncia duodecima pars momenti. Athomus. xlvij. pars vncie.

Est ⁊ alia temporis diuisio. s. per euum per etatem. per seculum. ꝑ lustrū. ꝑ olimpiadem ⁊ ꝑ inditiōnem. de quibus infra dicetur. Ceterum tria sunt tempora annorum siue triplex est annus scz solaris. lunaris. ⁊ magnus. De quibus prouidimus in hac octaua parte tractare. q̄ duas principaliter habet ꝑtes. In quarū p̄ma agit̄ de anno solari. ⁊ de ma zno. In secūda ꝟo de lunari.

De anno solari.

In hac prima huius operis parte de anno solari tractatur. Que in quatuor subdiuidit̄ particulas. In quarum p̄ma agitur quid sit annus. De initio anni De multiplici anno. De duodecim signis De bissexto. De quattuor anni tꝑibus siue ꝑtibus ⁊ de ieiunijs illorū. De solsticijs. et de equinoctijs. De magno anno. De era. De olimpiade. De lustro. De etate De seculo. ⁊ de euo. In secūda ꝑte agitur de mēse. De kal'. De nonis. De ydibus. Uñ ⁊ qualiter dies denominent̄. De diebus egyptiacis ⁊ canicularibus. In tertia agit̄ de septimana. ⁊ q̄ sit lr̄a kalendaruz cuiuslibet mēsis. ⁊ q̄ die septimane q̄libet mensis incipiat ⁊ de lr̄is dñicalibus. De regularibus solarib⁹ De ꝯcurrētib⁹. ⁊ de inditiōe. In q̄rta agit̄ de die. de momēto. ⁊ de hora.

De anno in genere.